

edificabor, nunquam alios filios generare poterō. *Nisi enim Dominus edificaverit domum, Psal. 126, 1, in vana laboraverunt qui edificant eam.* Vel certe magis generatim hoc dicit, quod vindicta divina nonnunquam occultis, sed semper justis, de causis quasdam seu nationes seu regiones ita deprimeret perseverat, ut vana sit omnis contra nitentium industria. Ita olim Deus Idumaeos primò per Chaldaeos graviter afflixit; deinde ad antiquam felicitatem postliminò aspirantes, partim per Judam Machabaeum, partim per Hircanum, ejusdem ex Simone nepotem, gravissimis cladibus contrivit: hic enim per vim circumcisos ad Judaicos ritus transtulit, donec tandem sub Tito ita reliquiae gentis profligatae sunt, ut ne vestigium quidem Idumaeorum aut posteritatis Esau reperiat.

Tropologicè S. Gregorius, lib. 11 Moralium, cap. 8: « Omnipotens, inquit, Deus humanum cor destruit, cum relinquit; edificat, dum replet; neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem sufficit ipsa sibi. » Et mox subjicit: « Unde plerumque fit, ut cum audientis cor exigentibus culpis omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius à predicatore moveatur, quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interioris in corde non clamet, qui aspirat verba quae audiuntur. Unde Propheta dixit, Psal. 126, 1: *Nisi Dominus edificaverit domum, in vana laboraverunt qui edificant eam.* Et Salomon ait, Eccl. 7, 14: « Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despicit. » Augeat verò statim sententia quae de Caini exemplo, qui ab omnium optimo concionatore, nempe Deo, exterius admonitus, ad bonam tamen mentem non rediit, quod qui illi ad aures loquebatur, interioris non operaretur vellet et perficere; sic enim ille: « Hinc est, quod Cain et divina voce admoneri potuit, et mutari tamen non potuit; quia exigente culpa malitiae jam intus cor ejus Deus reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. » Ita S. Gregorius. Malè tamen Calvinus alicuius ejusdem farinae ex hoc similibusque sacrae paginae locis conatur elicere, quosdam scilicet à Deo ante omnem culpam sic despicit, et, ut vocant, obdurari, ut nullo labore nullaque industria possint ad virtutem probitateque peringere; tamque insuperabili fato aeternis cruciatibus destinari, ut omnis irritus sit ad salutem conatus. Istiusmodi despectus et obdurations exemplum in Pharaone nobis exhiberi contendent, quem irrefragabili fato velut ad certamen cum Deo volunt excitatum (quemadmodum in arena Threx cum Myrmillone componitur) ut indomitè cervicè divinis imperiis oblectaretur, ac tandem inevitabilis rebellionis poenas vivus mortuusque lueret atrocissimas. Sed, amabo, quatenam esset haec tam dira tamque inaudita tyrannus, quae ferrèe necessitate inextricabilibus peccatorum laqueis homines irretiret, ut isdem damnatis reorum se supplicis oblectaret? Qui posset Deus usquequaque justissimus hanc justitiae laudem sibi vindicare, si ab his poenas exigeret, quos iudicò in seclus impulsisset, ne fatale sceleris decretum effectu

frustraretur? « Sanè justitia justa non erit, inquit D. Fulgentius, lib. 1 ad Monimum, cap. 22, si puniendum creum non invenisse, sed fecisse dicatur. » Major verò erit injustitia, si lapsus Deus retribuat poenam, quem stantem praedestinasse dicitur ad ruinam. Si homo à Deo despectus, necessariusque ad virtutem subsidiis destitutus, imò occultà quòdam vi in facinus impulsus, nihil in salutis aut damnationis suae negotio liberè agit, sed agitur potius ut globus à projiciente, ut securis à secante, ut lutum à figulo, quibus nullum sui arbitrium est; cur non accusatur potius ille plus quam Stoicus factorum impulsus, quam inevitabilis miserorum necessitas, dicam verius quam culpa? Non injurià sic olim cum Jove expostulabat quidam apud Lucianum: Si Parca omnium rerum est causa, ergo, si quis patrem occiderit, Parca in culpa est. Si Minos rectè velit uti iudicio, multò æquius fatum pro Sisyphe puniet, et Parcam pro Tantalo. Quid enim illi injuste egerunt, quando Parca dicto audientes fuerunt? Valeant igitur, valeant haec novatorum deliria; non ea mens est hagiographorum, cum obdurari aliquem, despicit, in reprobum sensum tradi affirmant, ut eos omni velint aut ad virtutem excitamentum aut ad salutem auxilio destitutos, sed non parem omnibus divini favoris et gratiae affluentiam asserunt communicari, rara tantum ac tenuiora subsidia, gravissimorum peccatorum meritis subinde sic exigentibus, volunt suppeditari. Ita rectè Tollenarius noster in illud Ecclesiastae, cap. 7, 14: *Nemo potest corrigere quem Deus despicit;* quod non sic intelligendum probat, quasi omnino de vitae reformatione putet esse concludendum, (nihil enim velat eum qui jam despicitur reconciliatà postliminò gratia charum acceptumque reddi); sed familiari Scripturae phrasi impossibile dicit, quod arduum ac difficile esse convincitur, quia nimirum par non est eos peculiaribus amoris illecebris à Deo praeveniri, qui se potius despectu dignos reddiderunt; nec facile est eos ex imà scelerum abyso emergere qui Deo manum subinde porrigenti per ludibrium insultant.

SI INCLUSERIT HOMINEM, NULLUS EST QUI APERIAT. Pulchrè hoc etiam exponit S. Gregorius, lib. 11 Moralium, cap. 5, dicens: « Omnis homo per id quod malè agit, quid sibi aliud quam conscientiae suae sibi carcerem facit? Qui cum judicante Deo in malitiae suae caecitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire minime meretur. Nam saepe nonnulli à pravis actibus exire cupiunt, sed quia coramdem actum pondere præmuntur, in mala consuetudinis carcere inclusi à semetipsis exire non possunt. » Debitas utique suis sceleribus divinae justitiae poenas luit peccator, dum assiduitate peccandi sibi ipsi vincula fabricat super indurati pectoris incendem, sibi ipsi carcerem edificat nefariorum scelerum vindicem; etenim aeterna inferorum supplicia aliquatenus emulatur, dum sibi evadendi aditum pracludit, impossibilitatem non physicam, sed moralem elabendi è vinculis et carcere sibi ingenerat. Hunc peccatoris statum describit S. Pa-

tianns Orat. de Baptismo, circa finem, ubi ait: « Si quis redemptionis ignarus rursus ad angelorum servitutum transierit, antiquis illis compediibus et catenis, id est, peccati vinculis alligabitur, et fient novissima ejus deteriora prioribus, quia et diabolus eum quasi per fugam victum vehementius illigabit. » Etenim ille qui contritis daemonis laqueis et mundi contemptis illecebris ad exercitum et partem filiorum Dei victor et ovans transierat, si postliminò rursum per peccatum quasi terga dans Christo, et socios despiciens angelos, ad Satanae vexillum evolavit, dux impius et animarum hostis antiquum servum recognoscens, et per fugam militem severiori custodià claudens, durioribus compediibus et strictiori vinculo necit, ne iterum fugam meditetur.

VERS. 15. — SI CONTINUERIT AQUAS, OMNIA SICCABUNTUR; ET SI EMISERIT EAS, SUBVERTENT TERRAM (1). Haec simpliciter primo et obvio sensu de pluviarum in terram immissione, eandemque ad ejus libitum retentione, tanquam de divinae potentiae exinopie opere intelligere possumus. Et quoniam aquae fecunditatem et rerum abundantiam, illa aquarum retentio vel earundem effusio nihil aliud significat quam penuriam vel abundantiam à Deo liberam et voluntariam immissionem. Quasi dicat: Quando vult potest tum sterilitatem, tum copiosam rerum omnium abundantiam elargiri; neque ad hos tam illustres ac diversos effectus instrumentis indiget, quibus salutem hominibus aut exitum afferat; sed id sine ullo rerum apparatu solà suà voluntate quam citissime perficit. Ut enim ad universi fabricam et caelestium orbium molitionem neque ferramentis ac rebus neque ullis machinamentis indiget, sic etiam neque ad demolendum ac dissipandum, quod ante sine ullo labore atque adjutore construxerat; nihilominus sive perdere omnia, sive conservare voluerit, arma habet ad utrumque consilium potentissima, quia manus illa tractat omnipotens, cui nihil esse potest infirmum. Sanè quae frigore concreverat atque congelatam arma dicuntur Dei, juxta illud, Job 38, 22: *Namquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? quae preparari in tempus hostis, in diem pugnae et belli? Nunc Jobus aquam instrumentum esse dicit divinae potentiae, quae vel compressa et elansa, vel affluentibus et immoderatius emissis, civitates plurimae perierunt. Deficiente pluvia, et multorum annorum siti arenibus agris, deser-*

(1) Tout le monde n'est aujourd'hui qu'un vaste désert, infructueux, stérile, parce que l'impétuosité inonde tout, et que la connaissance de Dieu n'est accordée qu'à des personnes privilégiées. Mais quand Dieu voudra, le culte sincère qui lui est dû et la vraie piété inonderont à leur tour toute la terre: *Sicut aquae maris operientes.* Des sables brûlants se changeront en campagnes fertiles. Les sources d'eau vive couleront où elles n'avaient jamais paru; et les nations que la Providence paraissait avoir négligées, deviendront l'objet de son attention et de son amour. *La terre qui était desséchée se changera en un étang, et celle qui brûlait de soif, en des fontaines. Dans les cavernes où les dragons habitaient auparavant, on verra naître la verdure des roseaux et du jonc; il y aura là un sentier et une voie qui sera appelée la voie sainte.* (Duguet.)

tam esse terram à cultoribus et incolis non semel acceptam. Neque id in sacris Scripturis et ecclesiasticis analibus infrequens. Nemo paulò doctior ignorat qualiter afflictà terra fuerit septem annorum fame quam praedit Joseph, et iterum tempore Elimelec, et sub David. Multo siccitates alias: illa quae totam invasit et vastavit Hispaniam satis probat à Deo non civitates solùm, quod accidit saepe, sed provincias totas potuisse subverti. Produnt namque antiquissimae Hispanorum historiae viginti sex annorum siccitate omnes fontes et fluvios aruisse, praeter Iberum et Betim, et terras in hiatus usque adeò vastos atque profundos discessisse, ut qui aliò victus querendi gratià commigrare vellet, quominus abirent obviam passim internè voragine prohiberentur. Sic Hispania diuturnà fame bestium hominibusque consumptis in solitudinem redacta est, uti notat Sanctius noster ad hunc locum, et ipse Hispanus, in historicis regni sui minime peregrinus. Similem omnino in Gallia siccitatem, quae fontes et putei exsiccati sunt, anno Domini millesimo centesimo trigésimo septimo, tradit Robertus de Monte, quod et Martinus Polonus ante ipsum tradiderat.

Quod autem fecit inducèta fame et in aeneo clovia compressa, idem fecit non semel aquis è celo aut è terrae scatebris immoderatè profusis. Et ut praetereamus vulgatissimum illud Noetico saeculo diluvium, quo quadraginta diebus, nullò interpellato momento, continuis in universum orbem pluit, adeò ut supra omnes montes quindecim cubitis omnium superfluitis terrae obrueretur inundatione, cujus praeter Moysen meminit etiam Plato, teste Eusebio in Preparatiōne evangelicà, lib. 12, cap. 10; alterum Ogygii diluvium fuit in Aethià: quod Deucalionis et antiquus et majus exitisse testantur Solinus, Eusebii Caesariensis, S. Augustinus de Civitate Dei, lib. 18, cap. 8, atque Orosius lib. 1, cap. 7, qui narrat illud annis mille quingentis ante urbem Romae conditam contigisse. Tertium Deucalionis fuit in Thessalià, de quo S. Augustinus eodem libro de Civitate Dei, cap. 8 et 10, et Orosius lib. 4, cap. 9. Utrumque illud in Graecia fuisse, non tamen in Ægyptum usque pervenisse constat ex eodem S. Augustino supra citato, cap. 10, ac Platone in Timaeo, ac Diodoro Siculo. Quae omnia diluvia absque irà Dei contigisse nemo temerè audeat asserere, cum tanta rerum perturbatio facta fuerit, tot homines civitatesque absorptae sint. Sed et D. Gregorius, hom. 55 ex quadraginta, pluvias nimias ad indignationem divinam spectare scripsit in hanc sententiam: « Notandum, inquit, quod dicit Dominus futuros terrores de celo et tempestates. Cum tempestates hiales venire soleant ex ordine temporum, cur hoc loco tempestates venire in perditionis signo praedictur, nisi quod eas tempestates Dominus venire denuntiat, quae nunquam ordinem temporum servant? Quae enim ordinatè veniunt signa non sunt, sed tempestates in signo sunt, quae ipsa quoque temporum statuta confundunt, quod nos quoque nuper experti sumus, qui aestivum tempus conversum in pluvias hiemalibus vidimus. » Sic



consilii expertes eos qui rerum potuerunt, et rempublicam capessunt, ut cum salus agatur et summa republica, nihil eam studio et operâ suâ juvent. Cum enim iudicis potissimum sapientiâ pollere deberent, eorum casus ad animi stuporem et stultitiam reducitur, ut appareat Deum magnates spoliaré posse etiam internis et spiritalibus donis, qualis est sapientiâ, ut qui velut Salomon sapientes erant, asino stupidores efficiantur, imò penitens desipiant, vel potius eò usque illos deprimat, ut ab omnibus pro fatuis habeantur. Porro nomen *iudicis* in hoc loco non præcisè sumitur pro eo qui ex officio causas dijudicat, et tanquam iustitiæ minister unicuique, quod summ est, reddit, sed generaliter pro quolibet supremâ potestate. Sic olim qui præferunt Hebræorum Genti ad tempus usque Ielli iudices vocabantur, quibus idem penè jus eademque partes erant quæ regibus, ut docet liber totus Iudicum. Illi Hebræicè dicuntur שופטים *Sophetim*, à quibus magistratus summus apud Pœnos nomen accepit, qui *suffetes* dicitur, ut ait Livius, lib. 8. Decadis hæc. Pœnos autem et Phœnices multa ab Hebræis accepisse vocabula docet Augustinus, contra litteras Petilian cap. 405. Fuit tamen inter reges et iudices apud Hebræos aliqd discriminis, quod paucis explicuit Lactantius, lib. 4 de Sapientiâ, cap. 10. Primum, inquit, non dominio regum subjecti fuerunt Iudæi, sed populo ac legi civiles iudices præcederunt; non tamen in annum constituti sunt sicut Romani consules, sed perpetuâ jurisdictione subnixi. Neque ulla erat illis conditio leges ad imponendâ tributa legitima potestas, aut novam inducendâ gubernationis formam; quare non tam Hebræi tunc à iudicibus quam à Deo gubernari dicebantur. Unde Dominus Samuel dixit, 1 Reg. 8, 7: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnum super eos.* Reliqua fermè iudicibus cum regibus fuere communia, de quibus subdit:

VERS. 18. — BALTEUM REGUM DISSOLVIT, ET PRÆCINGIT FINE REGES EORUM (1). Id est, in Dei potestate

(1) Inter militaria insignia præcipuus est balteus, quem ditissimum sibi veteres parare solebant. Vide apud Virgilium, *Æneidos* 10. balteum Pallantis filii Evandri. Fecit regina Amazonum, veluti regi indicium balteum Martis gestasse. Porro Deum, in argumentum potestatis suæ, detrahere regibus balteum, principatûs indicium, asserti hic Jobus; additque, armis illos nudare, et exautorare quodammodo militiâ et dignitate triumphatorum, quâ de re potissimum principes solliciti sunt, ut illos in captivitatem et funibus onustos in mancipiorum conditionem redigat. Hoc hæc aliter explicant Interpretum nonnulli. Deus carcere liberat oppressos, confringit vincula eorum quos tyranni detinent in nervis, ipsosque impios principes, aliorum oppressores, ferro onustos opprimat. (Calmet.)

BALTEUM REGUM DISSOLVIT, etc.; regiâ dignitate et fillis insignibus privat, et ad pauperatam et mendicantem redigit. (Menochius.)

BALTEUM REGUM DISSOLVIT, id est, gloriosam potestatem quâ alios vinciebant et premebant, auferit, facit ut, loco baltei, funibus in carcere vinciantur, vel in triumphum, vel ad mortem trahantur. Et his talibus balteus verè est *balteus*; nam à bullis affixis balteum nomen traxisse docent Varro et Pierius. (Tirinus.)

est reges regis insignibus exuere et servos facere, quemadmodum etiam Daniel denuntiavit, cum dixit, cap. 2, 21: *Ipsæ mutat tempora et ætates, transfert regna atque constituit.* Pro balteo Hebræicè בִּרְמַת *brimat*, id est, *vinculum*; quasi dicit: Gloriosam potestatem, quâ alios vinciebant, à regibus auferit, facitque ut eorum loco funibus in carcere vinciantur, aut ad mortem trahantur. Noster interpres optimè veritè *balteum*, tum quia gloriose pompæ signum erant bullæ, et inde dicitur *balteus* quasi *bullatus*, à bullis illi instar clavorum affixis; ita Varro et Pierius in Hieroglyphicis sub nomine *bulle*; tum quia à balteo pendebat gladius potestatis et vindictæ index. Balteus enim apud Romanos, teste Quintiliano lib. 2, cingulum erat ex corio bullis distinctum, ex quo pendebat ensis; ducebatur autem obliquè ab humero dextro ad sinistram, eratque ornatus equestris ordinis, aut clarissimis alicujus magistratûs publicæ honorificè muneris, ut in jure civili patet, codice de Mortali et Epidemeticis, lib. 12, Tit. 44. Hinc apud Horatium de Arte Poeticâ vocatur quidam *cingulum*, id est cincti balteo. Hic baltei usus multis annis ante Romam conditam Judæis erat familiaris, cum tempore Davidis eo duces uti solebant. Inductur enim Job primus Davidis dux ornatus balteo; et multo ante erat is ornatus regalis, ut ex hoc Jobi loco patet.

Tropologicè S. Gregorius, lib. 11 Moralium, cap. 8, vult justos appellari reges propter castitatem et continentiam, quæ maxima est castitatis laus; et in hunc sensum locum præsentem interpretatur: Qui memchorum, inquit, suorum motus benè regere sciunt, non immeritè reges vocantur; sed cum de ipsâ continentia elatione mens tangitur, plerumque omnipotens Deus ejus superbiam deserens, hanc in munditiâ operis cadere permittit. Regum itaque balteum dissolvit, quando in his qui benè regere sua membra videbantur, propter elationis culpam, et castitatis in eis cingulum destruit, etc.

VERS. 19. — DUCIT SACERDOTES INGLOBIOS (1), ET OPTIMATES SUPPLANTAT: Id est, non solum reges, sed etiam sacerdotes et optimates de gradu dejicit, ita ut nihil sit excelsum aut firmum in orbe quod divinæ potentie reluctari queat. Continetur autem in titulo *sacerdotum* eminentes quosdam et honorificè majestas, sic ut Hebræi viros principes, qui præstabili quâdam amplitudine cæteros anteeunt, tametsi nullam sacram functionem attingant, nomen tamen sacerdotum. In libris certè Regum filii Davidis *sacerdotes* nuncupantur non propriè; neque enim è tribu fuerit Levi, aut nullam partem sacræ rei habere in potestate, sed

(1) Hebræum *cohen*, quod reddi solet *sacerdos*, vel pontifex, usurpatur etiam de principibus, optimatibus, et viris qui reliquis dignitate præstant. Hic autem utramque significationem commode admittit. Deus enim aquè imperat viris summis et infimis, sacerdoti et populo, potenti et infirmo. Spoliat illos ac dejicit, erigit vicissim et gloriâ cumulat. Hebræus legit: *Faciens ire sacerdotes spoliatos, vel nudos.* Exiit illos insignibus dignitatis suæ. septuaginta: *Redigens sacerdotes in captivitatem.* (Calmet.)

quod in aula et palatio forent principes et dynastæ, atque in omnium oculis eximîa luce gloriæ fulgerent; itaque Septuaginta dicunt ἀδελφῶν, purpuratorum dominos, aula ocellos. Sic et Iram Jairitis Davidis nominatur sacerdos, hoc est, unus è principibus viris, qui in ejus comitatu essent regio, qui gratiâ et dignitate omnium propè aliorum lucem præstingeret. Putiphar in Genesi vocatur *Sacerdos On*, hoc est, princeps Heliopolos, ait Chaldeus. Adèò mirrurum constabat apud veteris Ecclesiæ heroes, qui divina scripta nobis reliquerunt, sacerdotii nomen adsignificare quiddam magnificentum, nobile, venerandum; et neminem de sacerdote cogitare, qui non pariter summæ amplitudinis virum et potentissimè dominatûs principem animo concipiat.

In hoc certè admiranda esse officii omnium Dei providentiâ, à quo linguam sanctam institutam et expositam voluit, quod Hebræum כֹּהֵן *Cohen* sacerdotem simul et principem significet, à כֹּהֵן *cohen*, quod est sacerdotio fungi, vel magnificare, eximium esse inter omnes, præstare dignitate. Et ne fortè exiguum quemdam principatum et fortune telis obnoxium esse putaremus, rex hymnorum divino afflatus in quodam psalmo cauit illum esse *nimis confortatum*; hoc est, potentissimum, inaccessum, supra nubes atque ventos positum, omni instabilitate superiorem; cujus causam potere videtur à familiaritate cum Deo summo rege, in cujus domo, id est, Ecclesiâ, velut in aula palatii sunt atque omnium gratiosissimi; quare illos vocat ἐκκλησίῳν, *Dei socios* et familiares. Nam in eodem loco, ubi nos habemus: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus*, alius interpres apud S. Chrysostomum legit: *Τίμας εἰς ἐκκλησίῳν, pretiosi et venerandi sunt familiares tui*, qui tuâ beatissimâ societate commercioque dignantur, ut jam inde ab hæc vitâ id consecuti videantur, quod antiqui ab Helladæ sophi, quasi per nebulam excellentium animarum gloriam et felicitatem intuentes, post hanc vitam accidere magnis viris sapientibusque dicebant; illos enim ad celestem regionem evectos fieri Jovis ἐκκλησίῳν, *comites atque assessores*, Plato in Phædro, Themistius, Orat. 1, et Philostratus tradiderunt.

Sed quid externos cito, cum in manibus sint doctissimi Patres, et divino afflatus proditæ litteræ, in quibus sacerdotio ornati nominantur *reges*? Quâ de re divinâ quoddam mente disputat S. Paulus ad Hebræos, ubi docet magno Servatoris mysterio translatum sacerdotium fuisse ex tribu ad tribum, de sacerdotali ad regalem. Atque, ut animadvertit S. Ambrosius in istius loci Commentariis, primum fuit regale sacerdotium Melchisedech, secundum sacerdotale in Aaron, tertium in Christo denot fit regale. Adèò ut nullus jam sit mystes in Ecclesiâ catholicâ legitime initiatus, quis subito, non ut olim in scuto militari bellatorum quin cervicibus, sed angelorum penè dicam humeris, coronatus in sublime tollatur. Quod providens animo Moyses Christianos perhonestificè compellat *regum sacerdotale*, vel, ut est apud Septuaginta βασιλεῶν ἐκκλησίῳν, *regale sacerdotium.*

Quod idem apex religionis dixit S. Petrus, atque in Apocalypsi Joannes. Hinc salutis nostræ Deus sacerdos fuit nominatus secundum ordinem Melchisedech; qui ordo omnium est clarissimus, hoc est, regius; vel quod is ordo è duobus coalescat, quæ inter homines admirabilitatem summam eximianque splendorem habent è sacerdotio et regio dominatu, ut doctissimus Hieronymus in Epistolâ ad Evagrium auctor est. Fuit enim Melchisedech ille typus Servatoris augustus, id naturæ miraculum, charum Deo caput et electum, ante circumcissionem Israelitæ, ante Evangelium Christianum, ante teletas consecratus; fuit, inquam, ille mysterium prodromus, simul rex Salem, et summi Dei sacerdos, ut divinæ Litteræ meminerunt; ab illo ordo manavit primum ad Ægyptios, deinde Græcos, post Romanos, et ejusdem proprium esse putaretur ἡγουσίου καὶ ἱερατικού, *regnare et sacerdotio fungi*, ut prodit Aristoteles lib. 5 Politicorum cap. 10. Hinc in Palestinâ ἱερατοῦν lib. 5 Politicorum nominabatur βασιλείῳν, regnum, ut loquitur Xiphilinus in Pompeio. Ita Crescens noster, Mystagogy lib. 1, cap. 4, ubi hæc fuisse prosequitur.

Ait ergo Jobus eos qui vel hujus ignari dignitatis vel conditionis suæ immemores ita se abiciunt, ut neque vitæ sanctimoniam habere conentur, et gradum suum infamie sordibus inobscurent, depellendos à Deo, ex illâ gloriâ quam antea obtulerant, et ad vilem ac sordidam vulgarij hominum conditionem redigendos. Tales gravissimo verbo S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 21, appellat ὀφθαλμοὶ παρὰ τὴν ἀπύχου, *spiritus nothos et perperam adscriptos sacerdotes.* Quod quasi interpretans Zacharias summus pontifex in Epistolâ ad Francos seu Gallos, quæ habetur initio lib. 5 Capitalium, vocat *falcos et erroneos sacerdotes*, quorum causâ victos sæpè Francos ait à Paganis fuisse, quod Galliam sceleribus suis demonestarent. Hinc lamenta illustrium pontificum, cum deteri gloriam Ecclesiæ, cum ipsius florem dignitatis infringi viderint, et presbyteros, qui magistrum omnium virtutum et sanctimonie esse debeissent, in profanorum classem et colluvionem rejectos. De talibus, ὄφθαλμοὶ καὶ ἱερέω, *inane jam nomen est sacerdos*, ait Gregorius Theologus Orat. 1, effusâ videlicet in principes quoque ipsos contempatione. Cujus rei indignitatem S. Bernardus in hunc modum eleganter expressit: *Monstrosa res est gradus summus et animus imus; sedes prima et vita ima; lingua magniloqua et manus otiosa; sermo nullus et fructus nullus; vultus gravis et actus levis; caput caenum et cor vanum.* Et quidem istiusmodi aliquando futuros tantò ante oracula divina monuerunt. Ipse Christus, ut notavit Justinus Martyr in Dialogo contra Tryphonem, prædixit fore sacerdotes falsos et pseudoprophetas, qui nomen ipsius venditent. Quem secuti quoque Apostoli religionis coryphæi, excitatum iri aiebant ex numero sacerdotum hominum preposterorum et contaminatos hierophantas, qui perversa loquerentur, et pronam ad scelus et impietatem viam sternerent: quin et nimis summi Judicis animadvert-



ligi, quæ perpetuis temporibus laterent, et in tenebris jacerent, nisi divinum lumen vel exponens, vel aliâ ratione patefaciens accederet sicut dixit Daniel, 2, 22: *Ipse revelat profunda et abscondita, et novis in tenebris constituta, et lux cum eo est.* Vel potest etiam explicari de afflictionum et miseriarum tenebris, quibus Deus miseros et de sua salute desperantes inopinato quadam auxilio subito levat, sicut precabatur David, psalmo. 17, 29: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Deus meus; illumina tenebras meas quoniam in te eripiar à tentatione.* Umbra verò mortis opacissimas et crassissimas tenebras declarat.

Potest etiam hic versus ad duos præcedentes referri, ita ut sensus et cum eis unio sit talis, q. d.: Quando contingit ut princeps sive rex consiliarios habeat, qui labium commutent, diversaque à pristinis proferant consilia; vel cum seniores occæcati puerilescunt, nihilque sani consilii in medium adducunt; aut cum principes, et qui prius uno ore unoque animo bonum publicum affectabant, sese invicem aspernantur, tunc utique ab effectis, et à calamitate, quæ hujusmodi dissensionibus, prava consilia mutuosque despectus consequuta est, Deus detegit consilia cordium, atque omnia quæ in tenebris erant manifesta fiunt, veniuntque in lucem; ut puta conspirationes, proditioes, vindictæ, perfidie et falsa consilia. Hæc sunt utique profunda, quæ Deus de tenebris cordium revelat. Hæc est umbra mortis, quæ in lucem à Deo produciunt. *Nihil enim est opertum quod non reveletur, neque occultum, quod non sciatur.* Math. 10, 26. Sic detestandum malignaque Achitophelis consilium revelatum fuit, et in lucem proditum.

Mysticæ possunt hæc ad cælestes revelationes pertinere, quibus Regius psalteris occulta sapientiæ Dei sibi manifesta cecinit. Profunda autem dicuntur mysteria divinitatis et arcana operum ejus, ut quod Deus in personis trius, et in essentia unus sit; quod Verbum Dei carnem assumpsisset, et homo factum sit; quod in Eucharistiâ, non in figurâ, sed in veritate Deus homo occultetur. Hæc et alia profunda Dei abscondita erant in puteo et in horreo Scripturarum. Sicut autem Jacob lapidem ab ore putei amovit, ut greges biberent, et Joseph horrea aperuit, ut tempore famis populo frumenta ministraret, ita et per unigenitum Filium Deus sacras litteras explicuit, ut nos cibaret pane vitæ et intellectus, et aquâ sapientiæ potaret, et ipsentia suâ terram repleret; id autem fecit, ut in ipsam crederemus, ipsunque diligeremus, et à majestati ejus cognita, et amate serviremus. Qui finis est perscrutationis revelationis profundorum mysteriorum Dei.

VERS. 25. — QUI MULTIPLICAT GENTES, ET PERDIT EAS, ET SUBVERSAS IN INTEGRUM RESTITUIT (1). NUNC

(1) *בְּשֵׁנֵי לַיְלִים יִצְמַח, crescere facit gentes, incrementa dat gentibus, et rursùm perdit eas, quas multiplicarat et magnificarat; vel has quidem, ubi vult, auget ac propagat gentes; alias rursùm perdit, quòum vult, et quas vult. Alterum hemistichium, שֶׁבַח לַיְלִים, quod nominibus ambiguitatis habet, quòum tam שֶׁבַח לַיְלִים, quam לַיְלִים, utrumque vel bono, vel malo sensu ac*

aliud adducit argumentum diviniæ potentæ, cui nihil est factu aut dissolutu difficile; multiplicare enim potest gentes et populos, et eosdem repentinè disperdere, et rursùm excitare, et ad illum numerum ordinemque redigere, ut nihil videatur fuisse subversum. Cujus rei satis planum exemplum fuit hominum prima creatio magneque multiplicatio, deinde per diluvium subversio, ac demùm restitutio à filiis Noe tantà non solum hominum, sed etiam nationum et provinciarum multiplicatiōe, quantâ numerari non possit; adeò ut eam stupore plenus expendens David, diviniæ altitudinè comparare non dubitet dicens psal. 11, 9: *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum, ubi in Græco legitur ἰσχυροσυναε, quod propriè est magni pendisti, aut plurimum curasti.* Est enim *πυλοσυναε, diligenter et multum curas, à πύλο, hoc est, multum, et ὄψια, quod est curas, custodia;* cujus verbi contrarium est ἀγροσυναε, id est, negligo, contemno. Significat itaque Deum, sicut altus est, excelsus et magnus, ita etiam magnam semper curam gessisse hominum; sive, juxta bonitatis ac misericordiæ suæ magnitudinem et altitudinem, nunquam genus humanum neglexisse. Hinc licet hominum peccatis, justam Dei vindictam provocantibus, integras nonnuquam regiones ac gentes peste, fame ac bello subverterit, postmodum tamen misericordiæ recordatus, ut plurimum successu temporis iterum in integrum restituit.

VERS. 24. — QUI IMUTAT COR PRINCIPUM (1) POTEST

capit possit. Hinc aliqui sic explicant: Extendit, i. e., expandit super faciem terræ, ac multiplicat et propagat gentes, et rursùm abducit eos in exilium, vel in exilium, ut 2 Reg. 18, 41. Sic Kimchi in Lexico כִּי יִפְתָּח עֵינָיו dilatat et amplificat filios locum et hereditatem, postea verò eas in exilium agit et abducit, vel easdem, vel alias quas libitum fuerit. Et A. Schultens hanc interpretationem veram esse, vix ait dubitari posse, quum apud Arabes verba que expandendi significationem communem habent, frequentari ament in sedibus commodis lateque fuscis gentium ac populorum. Ita à Desjardino adducitur formula יִפְתָּח עֵינָיו, expandit Deus terram, pro commodis et amplis sedibus porrexit ad inhabitandum. Aliud verò est terram expandere, figurâ ab auteco, sive à stragulo desumptâ; aliud, gentes expandere, quod et dispergere eas, sedibus ejectas, indicare potest, vel: Extendit humi prostratas, quas ipsa notio arabicâ dialecto confirmari potest. Ita Alexandrinus: Καταστρέψουσιν ὄψια, καὶ ἀβύσσους ἀβύσσων. Alias conjecturas vid. in Michæalis Supplement. p. 2516. Ego malim שֶׁבַח expandere sumere pro diffundere, nym, excursions faciunt et fines dilatant, cui oppositum est לַיְלִים, reducit eas postea, et aretat unum in locum, eorum impetum compescens et sedans, reducti in suos fines et constringit. (Rosenmuller.)

(1) Hebræus: *Removens cor capitum, principum.* Exiit illos mente et robore. Propheta Isaias et Jeremias Dei nomine sæpè minitantur principibus populisque futurum, ut corrupti stupore, tumultu et errore, è plenâ veluti die in densissimas tenebras dejiciantur. (Calmel.)

*Il change le cœur des princes qui sont établis sur les peuples de la terre. Il les trompe, et les fait marcher au hasard en des routes égarées.* Comment l'Écriture peut-elle dire de Dieu qu'il trompe les princes, puisque Dieu étant la vérité même, il ne peut tromper personne? Lorsque Dieu abandonne l'esprit humain à lui-même, il est dit que Dieu le trompe, parce que l'homme est trompé infailliblement à l'heure même qu'il

TERRE, ET DECIPIT EOS ET FRUSTRA INCENDANT PER INVITUM. Omnino competens est cor principum à Deo verti quòcumque velit, juxta quod Salomon ait Prov. 21, 4: *Cor regis in manu Domini: quòcumque voluerit inclinabit illud.* Movet quippe regum voluntate corde significatum quò decrevit, ita ut arbitrii libertate minimè lesâ, id procul dubio agant, quod à Deo provisum est. Sicut in corde est principum motus naturalis, sic in voluntate primordium motus moralis, ut rectè cor appelletur. Dicitur autem Deus decipere, seu errare facere, non certè quòd errorem deceptionemve inducat, sed quòd lucem justè subtrahat, cujus defectu impij homines spirituales quamdam eclipsim patientes à recto aberrant, et graviter seducuntur. Sic legimus principes populi cæco et præcipitii consilio et sibi et suis attulisse perniciem, et prorsus instituisse viam que longè aberat à sanâ mente et à salute communi ac propriâ. Tesis fuit ex alienis Phærao, Nabuchodonosor, Baltasar; ex gente Israël: tude Saül, Salomon, Roboam; qui dum deivis abducentur rationibus, et se et suam pessumdedere republicam. Dicitur autem Deus immutare cor principum in malum, eo sensu quo superiùs, versu vigesimo, dictus est commutare labium veracium, scilicet permissivè, ut scholastici exponunt. Id est: Permittit ut affectus illorum in prava et vitia feratur, et intellectus ipsorum pravis consiliis decipiatur, et ut iter per invia vitiorum faciant, et nunquam ad optatum finem perveniant. Quo sensu etiam David Psal. 106, 40: *Effusa est, inquit, contemptio super principes, errare fecit eos in itinere, et non in via.* Contemptio nimirum tunc super principes effunditur, cum deficiente lumine veritatis atque prudentiæ, in varias sententias distracti quid faciendum sit non inveniunt. Qui prius errant in viâ, dum rationem exercendæ virtutis invenire nesciunt; et postmodum exerrant etiam in invio, quia peccata, quibus illigantur, non advertunt.

VERS. 25. — PALPAMENT QUASI IN TENEBRIS (1), ET

s'ôigne de la lumière de la vérité de Dieu, qui seule est capable d'empêcher qu'il ne se trompe et qu'il ne s'égare. L'expression dont se sert le Saint-Esprit pour représenter l'état funeste de cet homme que sa divine lumière ne conduit plus, est admirable. Car il dit qu'il est alors comme un homme plein de vin, que l'ivresse fait chanceler. Tel est, selon Job, que le Saint-Esprit faisait parler, l'éclaircissement d'esprit de ceux mêmes qui paraissent les plus honorés et les plus puissants dans le monde. Toute la gloire qui les environne n'étant point accompagnée de la lumière de la vérité, qui doit faire le bonheur de l'homme, ne peut empêcher que Dieu et ceux qui sont pleins de l'esprit de Dieu, ne les regardent comme des gens ivres, qui ne marchent point d'un pas assuré, mais qui sont à tous momens en danger de se blesser. (Sacy.)

(1) *וְיִפְתָּח עֵינָיו יִפְתָּח, vel palpant, vel palpabant (ita ut palpant), tenebras, etc., vel, in tenebris, ut cæci solent. Ante illis יִפְתָּח subauditur יִפְתָּח. Et non lucem, et non est illis lux, et ubi non est lux, ut luce careant. Non affliget illis ratio vel consilium à malis emergendi. Excæcat eos Deus, ut in manifestis etiam causis ignoret quid factu opus sit. Mentis ac consilii inopia laborant.*

ET ERRARE EOS FACIET (vel facit, sive fecit, etc.),

NON IN LUCE, ET ERRARE EOS FACIET QUASI EBRIOS. Elegans descriptio est illius cæcitatibus peccatores et impij plerumque incurrit, de quâ egit etiam cap. 8, vers. 14, dicens: *Per diem incurrit tenebras, et quasi in nocte sic palpant in meridie, ubi vidè quæ diximus.* Septuaginta hunc locum ita reddunt: *Ἐν ἀσπίδι οὐρανὸν οὐρανὸν, καὶ μὴ φῶς, palpant tenebras, et non lucem;* Scholion *Ἐν ἀσπίδι, q. d.:* Versantur in tenebris tam crassis, ut palpari queant. Tales fuisse memorantur tenebræ Ægyptiæ, quas Scriptura palpabiles tenebras vocat Exod. 10, 21, scilicet ob aerem ipsum tenebrosos adeò condensatum, ut tangi posset, sive quia tenebrositas in locis ita palpabundi homines incedunt, quasi tenebras ipsas apprehensuri essent. Hinc tenebræ palpabiles seu Ægyptiæ in proverbium abiverunt, ad densissimas tenebras significandum, unde ad mentis caliginem et quamlibet spissam ignorantiam transferuntur. Tenebrarum enim nomine significatur, error et ignorantia; item res adversæ ac tristes, sed præcipuè peccatum. Quomobrem sanctus Dionysius, ecclesiastica Hierarchia, cap. 2, peritè vocat *ἀσπίδι καλῶν, obscuram et illuc vitium.* Hoc in cæcis cærenoniis declaratum fuit, cum juberentur omnes, qui ad christianam religionem accederent, in Baptismo converti ad occasum, et abrenuntiare principi tenebrarum eræboque fonti caliginis obscuræque noctis, quæ à scelere in animam invehitur. Ad idem aliquantò post, recens baptizatos, cum ejurasset omnem Satanae mundique paratam obscuramque sceleris antrum, ubi nihil divitiæ lucis affulget, inducere consuevisse *ἐν ὀμίχλῃ ἰδούσας, velamenta niveo splendore fulgentia, ut qui post tenebras in admirabile lumen venissent.* In tenebris ergo palpant dicuntur peccatores, quia neque conscientiam vident suam multiplici operimento latebrosam, nam rationem perpendendæ virtutis inveniunt nesciunt; et postmodum exerrant etiam in invio, quia peccata, quibus illigantur, non advertunt.

VERS. 25. — PALPAMENT QUASI IN TENEBRIS (1), ET

et non in luce, quod epitasim habet. Hebræis usitatum, qui dum vinum et pondus volunt addere sententiæ affirmatiivæ; adiungunt contrarij negationem. Sic apud Amos dicitur, c. 5, v. 18: *Dies Domini tenebræ, et non lux.* Et Ezechiel dictum est ab Isaia, c. 58, v. 11: *Mortis tu, et non vires.* Quo genere loquendi Apostolus Joannes delectatus fuit, dum de Baptista loquens, ait c. 1, v. 20: *Confessus est, et non negavit.*

Cæterùm quod sequitur: *Et errare eos facit quasi ebrios, ad eorum insanam temulentiam declarandam pertinet.* Non longè scilicet à cæcis et in densâ nocte versantibus absunt temalenti, quibus vini immoderatus usus mentem sic turbat, ut amenes credas et in errore lyphatico bacchari. Cæcitas porò aut furor,

quasi ebrios. Ita mentis inopia et vertiginem eorum exprimit. Ut ebrius nescit quò eat, vel quid agat, sic illi nesciunt quò se vertant. Sic Isa. 49, 14. (Synopsis.)

cum magnus est, ab ebrietate ducti metaphorâ in Scripturis significari solet, juxta illud Psal. 106, 27: Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum decorata est. Sic etiam Deus per Isaiam, 29, 9, minatur: Obstupescite et admiramini; fluctuâtes et vacillate; inebriamini, et non à vino; movemini, et non

CAPUT XIII.

- 1. Ecce omnia hæc vidi oculis meis, et intellexi singula.
- 2. Secundum scientiam vestram et ego novi; nec inferior vestri sum.
- 3. Sed tamen ad Omnipotentem loquar, et disputare cum Deo cupio;
- 4. Præus vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum.
- 5. Aligne utinam læceretis, ut putaremini esse sapientes!
- 6. Audite ergo correptionem meam, et judicium laborum meorum attendite.
- 7. Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini solus?
- 8. Numquid faciem ejus accipitis, et pro Deo judicare nitimini?
- 9. Aut placebit ei quem celare nihil potest? aut decipietur ut homo, vestris fraudulentis?
- 10. Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.
- 11. Statim ut se commoverit, turbabit vos, et terror ejus irruet super vos.
- 12. Memoria vestra comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervicis vestre.
- 13. Tacete paulisper, ut loquar quodendumque mihi mens suggererit.
- 14. Quare læcerò carnes meas dentibus meis, et animam meam porto in manibus meis?
- 15. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo; veruntamen vias meas in conspectu ejus arguam.
- 16. Et ipse erit salvator meus; non enim veniet in conspectu ejus omnis hypoerita.
- 17. Audite sermonem meum, et enigmata percipite auribus vestris.
- 18. Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar.
- 19. Quis est qui judicet mecum? veniat; quare facens consumor?
- 20. Duo tantum me facies mihi, et tunc à facie tuâ non abscondar?
- 21. Manum tuam longe fac à me, et formido tua non me terreat.
- 22. Voca me, et ego respondebo tibi; aut certe loquar, et tu responde mihi.
- 23. Quantas habeo iniquitates et peccata? scelera mea et delicta ostende mihi.

ab ebrietate, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis; claudet oculos vestros, etc. Haec mirum Deus, cum vult, principes quoque novit humiliare aferendo ab eis omne consilium, ita ut in meridie cæcudentes, in rebus, inquam, facilissimis, densissimâ ignorantie caligine involuti turpissimè hallucinentur et exerent.

CHAPITRE XIII.

- 1. J'ai vu de mes yeux toutes ces choses, et je les ai entendues de mes oreilles, et je les ai toutes comprises.
- 2. Ainsi ce que vous savez de la sagesse et de la justice de Dieu ne m'est point inconnu; et je ne vous suis point inférieur dans la science de sa grandeur et de sa puissance.
- 3. Mais quelque grand qu'il soit, je vous néanmoins parlerai au Tout-Puissant; et quoique j'en sois que cendre et poussière, je désire m'entretenir avec Dieu.
- 4. En faisant voir auparavant que vous êtes des fabricateurs de mensonges, et des défenseurs d'une doctrine corrompue.
- 5. Et plutôt à Dieu que, pendant que je découvrirai vos égarements, vous demeurassiez dans le silence, afin que vous puissiez passer pour des personnes sages, qui étiez dans l'erreur, ont un désir sincère de connaître la vérité, et de se détromper.
- 6. Écoutez donc les réprimandes que j'ai à vous faire; prêtez l'oreille au jugement que mes lèvres prononceront contre celui qui vous avez porté de moi, et des maux dont vous me voyez dévot.
- 7. Pourquoi, sans aucun fondement, les aveux-vous attribués à mes péchés? Dieu a-t-il besoin de votre mensonge, pour soutenir sa vérité? A-t-il besoin que vous inventiez des faussetés, pour le défendre, et pour justifier sa conduite?
- 8. Bâchez que vous prétendez favoriser Dieu, et vous rendre agréable à ses yeux, lorsque vous vous efforcez de défendre sa justice, en offensant sa vérité?
- 9. Dieu prendra-t-il plaisir à ce dégoûtément, lui à qui rien n'est caché? ou se laissera-t-il surprendre, comme un homme, à vos fautes et tromperies? Non, sans doute.
- 10. Mais lui-même vous condamnera; parce que vous entreprenez de défendre ses intérêts par des raisons qui vous sont entièrement cachées; et qui le lui a d'adorer ses jugements, qui vous sont inconnus, vous avez la témérité de les vouloir pénétrer.
- 11. Vous donc, qui êtes si hardis à dire raison de la conduite de Dieu, aussitôt qu'il fera paraître sa colère, il vous épouvantera, et il vous accablera par la terreur de son nom.
- 12. Votre mémoire sera semblable à la cendre que le mouleux vent disperse, et vos têtes superbes ne seront plus que comme de la boue.
- 13. Peut-être que ce discours vous choque et vous impatiente; mais demeurerez un peu dans le silence, je vous en conjure, afin que je dise tout ce que mon esprit me suggérera.
- 14. Pourquoi déchirerai-je ma chair avec mes dents dans l'exès de mes douleurs? et pourquoi est-ce que je porte ma vie entre mes mains, comme une chose que je ne dois pas perdre? Est-ce par désespoir que j'en use ainsi? Non.
- 15. Car quand Dieu me traitera, je ne laisserai pas d'espérer en lui. Ainsi l'exposerai hardiment mes vœux en sa présence.
- 16. Et il sera lui-même mon Sauveur. C'est ce que je ne ferai pas si j'étais un hypoerite, comme vous osez l'assurer; car aucun hypoerite n'osera paraître devant ses yeux.
- 17. Répondez-moi donc attentif à mes paroles; prêtez l'oreille aux vérités cachées que je vais vous dire.
- 18. Si ma cause était jugée selon les règles de la justice ordinaire, je sais que je serais reconnu innocent.
- 19. Qui est celui qui veut entrer avec moi en jugement, pour me contester cette vérité? Qu'il vienne, et je l'ai à rendre; car pourquoi me laisserai-je consumer, sans avoir parlé pour ma défense?
- 20. Seigneur, je vous demande seulement deux choses; et après cela, je ne me cacherais point de devant votre face, je ne craintirais point de paraître devant vous, pour soutenir mon innocence.
- 21. Premièrement, retirez votre main de dessus moi, et cessez de m'affliger. Secondement, ne m'improvez point par le terreur de votre puissance.
- 22. Quand vous m'aurez accordé ces deux choses, appelez moi, et je vous répondrai; ou bien souffrez que je vous parle moi-même, et répondez moi.
- 23. Combien ai-je commis d'iniquités et de péchés? Faites-moi voir mes crimes et mes offenses, pour lesquelles vous me traitez avec tant de sévérité.

- 24. Cur faciem tuam abscecidis, et arbitraris me inimicum tuum?
- 25. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris;
- 26. Scribis epim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentie mee.
- 27. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti;
- 28. Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur à tineâ.

COMMENTARIUM.

VERS. 1. — ECCE OMNIA HÆC VIDIT OCVLIS MEIS, ET ADIDIT AURIS MEIS, ET INTELEXI SINGULA (1). Præcedentis capituli initio Job Sopharis et aliorum amicorum sermones, tanquam populares modiceque admodum scientiar, non magis faciendos ostenderat, ideoque ipsos ad bestias terre, ad volatilia cœli, ad pisces

(1) Il y avait dans le discours de Job un sens innuâdiat qui en cachait un autre plus profond et plus suivi. Ses amis ne concurrent rien au-delà de la surface. Mais comme elle enclenchait sur toutes leurs pensées un sujet de la Providence, et qu'elle avait quelque chose de sublime et de majestueux, elle sulisait pour les faire rougir de ce qu'ils avaient entrepris d'enseigner, comme ses maîtres, un homme si éclairé et si instruit. Job néanmoins ne se contenta pas de ce premier degré d'indignation; et il dit en termes assez clairs que son discours est prophétique; qu'il est plein de mystères qui lui ont été révélés à l'art de mes yeux toutes ces choses; qu'il prétend des vérités que Dieu seul est capable de découvrir; et que les autres de mes oreilles; et que s'il est mêlé de quelque obscurité, c'est parce qu'il ne lui a pas été permis de s'expliquer sur chaque chose aussi clairement qu'il l'avait comprise; Et je les ai bien comprises. Il avait prononcé avec l'air et les manières d'un homme inspiré. Il avait bien regardé un objet qui lui était montré; et ses amis, qui avaient observé cet air comme extasié et surabondant, lui en firent un reproche. *Quidquid (Deus) etiam tecum locutus est? Quis te docuit cor tuum, et directi fuisse tibi sunt oculi? Un tel reproche devint pour nous une nouvelle preuve que Job ne parlait point comme un homme ordinaire, et qu'il ne disait que ce qui lui était révélé par l'esprit de Dieu.*

ECCE OMNIA HÆC. Vel ista, que scilicet narravi de Dei scientiâ, potentia et providentiâ. Omnia, que divisisti; que tunc vis omnia ego disputavi.

VIS OCVLIS MEIS. Hæc scio, à me ipso experientiâ et longo usu edoctus, non aliunde, ut vos me, inebriatis majores interrogare, etc. Duos sensus nominat quibus præcipue doctrina acquiritur. *Vidit oculos,* reipâ expertus sum, nec minis certus sum, etc., quâsi si vidissem, etc.

ADIDIT AURIS À MAJORIBUS MEIS, etc., nec tantum audiit, sed et intellexit, et probe consideravit. *Initia partium experientiâ,* partim fide, exploratissima habuit.

INTELEXI SINGULA, etc. *et intellexit,* vel percipit, vel considerat, illud, vel quod est, etc. *percepit,* construitur cum 7, alia cum 22 et 77 non, loco neutrius, quo caret Hebraei. Sed est hoc verum sit, et posse notare articulum accusativi cæsûs, tamen ostendit quod vox *intelligit* cum duobus præcedentibus verbis, ut planum sit eam construi cum præcedente voce 72 omnia; sic et intellexit omnia illa. *Alii veruntim, sicut,* quod roduare videtur.

(Synopsis.)

- 21. Pourquoi me cachez vous votre visage? et pourquoi me croyez vous votre ennemi, et me traitez-vous comme tel?
- 22. Y a-t-il de la gloire pour vous à combattre contre moi? Vous faites dans cette occasion éclater votre puissance contre une feuille que le vent emporte, et vous poursuivez une paille sèche.
- 23. Car vous donnez contre moi des arrêtés très-sévères; ou me trouvant point de crimes dans ma vie présente, vous voulez me consumer pour les péchés de ma jeunesse.
- 24. Vous m'avez mis les pieds dans les ceps, vous avez observé tous mes sentiers, et vous avez considéré avec soin toutes les traces de mes pas, comme si vous aviez besoin de ces précautions pour découvrir mes crimes, pour vous assurer de ma personne, et pour trouver le moyen de me faire périr.
- 25. Moi qui ne serai que pourriture dans un moment, et qui deviendrai au premier jour comme un vêtement mangé des vers.

maris, ad terram ipsam aliâque clementia disciplina causâ remiserat, ut se non minis ab hujusmodi rationalis animaque expertibus creaturis, quàm ab ipsis, qui sapientia nomen affectabant, erudiri posse probaret; cum istiusmodi scientia per intellectum naturaliter ex sensuum apprehensione colligeretur. Hic ergo concludit Job, se ea omnia que de divini sapientiâ, potentia, providentiâ nuper disseruit, quantumvis magna et admiranda, non magno studio et labore, neque ex peculiari aliqui sibi factâ revelatione, sed naturali lumine intellectus, per solam scienciam oculorum, aurium aliorumque sensuum apprehensionem, qualiter etiam medicis ingenii homines earum rerum cognitionem assequi possunt, optinè capere. Pulchre autem triplicem recenset cognoscendi rationem, aurium videlicet per traditionem, oculorum per experientiam, et intellectus per ratiocinationem et scientiam, breviter eam sub audiendi, videndi et intelligendi verbis completens. Quo loco animadvertendum est, non esse satis opera Dei audire atque adeo videre, ut ex illis ad Dei scientiam erudiatur, nisi eadem animo nostro tractemus, consideremus et intelligamus. Nec in eo differit stultus à sapiente, quod alter viderit, alter vero non viderit opera Dei, cum omnibus proposita et manifesta sint, sed in eo potius quod sapiens ea intelligat, stultus vero minime, sicut dixit David, Psal. 51, 8: *Quia delectasti me, Domine, in factâ tuâ et in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profunder facta sunt cogitationes tue. Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelligit hæc. Et hoc malum illud maximum est, quod Deus per Isaiam c. 6, v. 9, minatur, dicens: Audite, audientes, et nolite intelligere; et videte, visionem, et nolite cognoscere. Cæterum cum tres amici se solos sapere et Johum rerum divinarum penitus ignarum arbitrarentur, opportunè ad fastium eorum aspirandum subjungit:*

VERS. 2. — SECUNDEM SCIENTIAM VESTRAM ET EGO NOVI; NEC INFERIOR VESTRI SUM (1). Scio, inquit, et

(1) *וידעתי ושמעתי, juxta scientiam vestram, vel scire vestrum, non et quoniam et infinitum esse potest. Sicut vobis vos, illa. Namque non scitis, nisi etiam ego, non innotere habeo notitiam quom vos, NEC INFERIOR VESTRI, vel, vobis, nempe sapientiâ,*

(Synopsis.)